



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati, Priori, Et Custodi sancti Nicolai Rigensis diocesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

806 *Epistolarum Innocentij III.*

clericos in manifesto furto comprehensos contrectiverint violenter, si citra violen-
tiam nequeant comprehendendi, & si clericus, quem vehementer præsumis esse fal-
sarium, ad tuam præsentiam citatus legitime venire contemnens, citra excommuni-
cationis sententiam ad judicium per violentiam trahi possit. Ad hæc taliter respon-
demus, quod in neutro casuum prædictorum sententia excommunicationis in-
currit, dummodo mandatum interve-
niat Prælatorum quorum tales clerici sunt
jurisdictioni subjecti, cùm hoc non ipsi
laici, sed illi potius quorum auctoritate id
faciunt facere videantur, nec amplius lai-
corum violentia extendatur quam defensio
seu rebellio exegerit clericorum. Subse-
quenter etiam quæsivisti utrum monachi
omnium sanctorum privilegium bona me-
morie E. prædecessoris tui super episcopali-
bus decimis retinendis indultum exten-
dere valeant ad possessiones postmodum
acquisitas & in posterum acquirendas. Su-
per quo tale damus tuæ fraternitati res-
ponsum, quod si decimaru[m] illarum re-
missio facta extitit secundum canonicas
sanctiones, prædecessor tuus indefinitè
decimas episcopales monasterio remitten-
do, cùm nihil exceperit, & poterat exce-
pisse, ac in beneficiis plenissima sit inter-
pretatio adhibenda, nec debet una eademque
substantia diverso jure censeri, in-
tellexisse videtur non solum de decimis pos-
sessionum illius temporis, sed futuri. Sanè
quia contingit interdum quod nullo accu-
fatore publicè comparente qui matrimoniu[m]
imperat jam contractu, ad te privata quo-
rundam assertio deferit consanguinitatis vel
affinitatis impedimentum, an sub silentio
praterire, an ad denominationem jumenta-
lium, ut tuis verbis utatur, procedere
debeas, quæsivisti. Ad hoc sic breviter
respondemus, quod si personæ graves,
quibus fides sit merito adhibenda, tuæ
fraternitati denuntient quod ij qui matri-
monio sunt conjuncti se propinquitate
contingat, etiamsi nullus manifestus ap-
pareat accusator, ex tuo procedere potes
officio, ut veritate sollicitè inquisita, quod
postulaverit ordo decernas; maximè
si ex tali copula scandalum sit subortum.
Porro de nobili viro N. pro cuius dispen-
satione, indulgentia scilicet remanendi
cum ea quæ ipsum quinto gradu consan-
guinitatis contingit, à sede apostolica
obtinenda, falsa nobis causa fuerat allega-
ta, proles videlicet, cùm tamen ante dis-
pensationem obtentam unica filia, quam

habebat, viam fuerit universæ carnis in-
gressa, prout tua consultatio continebat,
dissimulare poteris ut remaneat in copula
sic contracta, cùm ex separatione, licut
a steris, grave videoas scandalum imminere.
Tu denique, frater Archiepiscope, super
te ipso. Datum Signia v. Non. Octobris,
pontificatus nostri anno sextodecimo.

*A B B A T I , P R I O R I , E T
Custodi sancti Nicolai Rigenis diocesis.*

Cum olim dilecti filii Magister & fra-
tres militia Christi de Livonia trans-
milla nobis conquestione monstrarunt
quod venerabilis frater noster Episcopus &
Præpositus Rigenes in insula quæ Holme
dicitur Ecclesiæ construi non permette-
re populo suæ partis, nec ad eam pre-
sentare plebanum, ac dictus Episcopus in
civitate Rigeni Ecclesiæ, decimas, advo-
catiam, monetam, punctiones, & ipsius
civitatis tertiam partem eos non fineret,
prout ad ipsos pertinet, possidere, contra
compositionem inter Episcopum & fratres
prædictos nobis medianibus initam ve-
niendo, eisdem Episcopo & Præposito per
apostolica scripta mandavimus ut supradic-
ta, iuxta quod in authentico de præfata
compositione confecto pleniùs continetur,
possidere permetterent fratres ipsos liberè
ac quietè, nullam eis de cetero super illis
inferentes molestiam indebitam & grava-
men, ac idem Episcopus in procurationi-
bus quas ab ipsis & eorum Ecclesiæ debet
recipere annuatim sic se modestè haberet
quod non gravaret eosdem, cùm adhuc
illorum & Ecclesiæ ipsarum sint tenues
facultates. Vobisque nihilominus dedimus
in mandatis ut si memorati Episcopus &
Præpositus mandatum apostolicum neglig-
erent adimplere, vos eos à prædictorum
fratrum super iis molestiatione indebita per
censuram ecclesiasticam appellatione re-
mota compescere curaretis. Sed miramur
quod, sicut accepimus, cùm Episcopus
& Præpositus sepedicti ab corundem fra-
trum injuriis non revocaverint manus suas,
edò fortius persequeantur eosdem quod
difficilius possunt habere recursum ad se-
dem apostolicam tam remoti, vos man-
datum nostrum exequi non curastis, ex ab-
sentiâ unius vestrum occasione dilationis
assumpta, satis siquidem frivola & inani,
cùm in litteris pro eisdem fratribus ad vos
missis contineretur exprestè quod si non
omnes iis exequendas interesse possetis,
duo vestrum ea exequi procurarent, & sic
fratres prædicti ob moræ dispendium ad

*Cap. Q[uod]a ci-
ca. De peccati-*

*Cap. Q[uod]a ci-
ca. De co[n]su-
gina. & alia.*

*Epiſt. 319.
Vt canis filii
comitifex dilin-
genter inuen-
dant.
Vide lib. 21.
epiſt. 141.*

sedem apostolicam appellantur. Nolentes igitur corundem fratrum differri justitiam, per iterata vobis scripta districte praepiendo mandamus quatenus in praedicto negotio secundum tenorem praecedentium litterarum omni occasione & appellatione cestantibus procedatis, memoratum Episcopum ad praedictae compositionis oblervantiam per suspensionem pontificalis officij & etiam, si opus fuerit, excommunicationis sententiam compellentes. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signie v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO, DECANO,
& Preposito Lundenfibus.

Epiſt. 120.
De institutio-
ne novi episco-
patus in Livo-
nia.
V. de infra epif.
124. 127. C.
lib. 14. Epif.
349.

Cum eo faciente qui venit salvum facere quod perierat & Ecclesiam suam nova semper prole focundat, Sackela & Hugenhusen de novo receperint verbum Dei, & per illius misericordiam qui veste nostræ humilitatis induitus, dignatus est peregrinari pro subditis, ut eos supernæ patriæ cives & aeterna beatitudinis faceret coheredes, Dei evangelium quasi semen cadens in terram bonam per partes illas sit longè latèque diffusum, ne huic novellæ plantationi diligentis agricultura cura desit, nostro fuit apostolatu supplicatum ut & locis per episcopalis dignitatis insignia & populis per circumspetū Prælati sollicitudinem faceremus sine moræ dispendio provideri. Neigitur gregi dominico desit cura pastoris, cum adhuc lupus rapax circumeat quarens quem devoret, paratus eō fortius ad rapinam quod recentius perdidit quod dii tenerat occupatum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita & cognita veritate, si qualitas locorum poposcerit, ac facultates sufficient, & expedire viderint, episcopatum auctoritate nostra constitutatis ibidem, & vocatis qui fuerint evocandi, per electionem canoniam faciatis loco & populo provideri de persona idonea in pastorem, & jura quæ debent ad Episcopum & Ecclesiam pertinere assignari eis integrè ac quietè. Quod si non omnes &c. tu frater Archiepiscopo &c. Tu denique, frater Archiepiscopo, luper te ipso &c. Datum Signie v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.



ABBATI, PRIORI, ET
Cellario de Monte sancti Nicolai
Rigenfis dioecesis.

Cum pastores Ecclesiae oves per de- Epiſt. 121.
Vt protegant
neophytes.
vium infidelitatis errantes ad ovile dominicum, non solum predicationis officio, sed etiam beneficiorum gratia, debeat invitare, grave gerimus & indignum quod, sicut accepimus, venerabilis frater noster Rigenfis Episcopus quosdam neophytes, vix adhuc plenè in sancta fidei eruditione plantatos, in injuriam fratrum militiae Christi exheredit in Riga, & Vide epif.
seq. alias indebita molestatione fatigat. Vnde contingit quod respicientes retro qui ad aratum jam manum posuerant, Christi jugum abiciunt, relabentes in pristina gentilitatis errorem, cùm in jam Christianos ea præsumat memoratus Episcopus quæ in gentiles nullatenus attentaret. Volentes igitur praedictos neophytes debita quiete gaudere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus supradictum Episcopum ab ipsorum injuriis distinctione qua convenit sublato appellationis obstaculo compescatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signie v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sexto decimo.

ABBATI DE GOTHLANDA,
& de Northlanda & de Sutherland
Preposito Lundenfibus dioecesis.

Quoniam nimis dispendiosum est & Epiſt. 122.
Dantur confe-
vatores fratri-
bus militie
Christi.
grave dilectis filiis fratribus militie Curtii de Livonia, cùm sint in remotis partibus constituti, pro singulis querelis apostolicam sedem adire, cùm frequenter a multis tam clericis quam laicis gravibus sint injuriis lacefisti, ad supplicationem eorum super hoc eis duximus providendum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta praepiendo mandamus quatenus cùm à dictis fratribus fueritis requisiiti, malefactores eorum in Bremenſi provincia constitutos, ut eis ablata restituant, & de dannis & injuriis irrogatis satisfaciant competenter, vel in aliquos compromitant qui appellatione remota justitia mediante procedant, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis diffugio compellatis. Quia verò venerabilis frater noster Rigenfis Episcopus eos, sicut accepimus, in multis opprimere consuevit, volumus ut cùm vobis confiterit memoria Vide supra
epif. 121. tum Episcopum malitiosè vexare fratres